

per se ut boni tantum licite conferrent sacramenta sua, sicut voluit ut in sola Ecclesia sua licita esset administratio Sacramentorum.

Negat autem Augustinus malos esse super petram, quia audientes verba Christi et non facientes (Matth. VII, 24. seqq.) aedificant super arenam, non super petram: scilicet *esse in petra, esse aedificatum super petram* ratione habita verborum Christi Matth. VII. non est tantum petrae Ecclesiae adhaerere, et esse in Ecclesia: sed perfecto et utili modo adhaerere petrae ac esse in Ecclesia, ita ut vero sensu dici non possit quod sit super arenam. Qui vero praedestinati non sunt negat ad Ecclesiam spectare quae praeparatur ut sit, non quae nunc est.

Itaque sententia Augustini non alia est reapse a sententia Bellarmini aliorumque Theologorum qui asserunt malos, licet non sint membra viva per caritatem, esse tamen vere membra Ecclesiae quae una est non duplex. Cf. Bellarminum l. c. Alcotium in Summa Augustiniana P. III. q. 1. a. 3.

§. XII.

Sic adumbrata exterioribus lineis Ecclesiae notione, nunc penitius eius natura rimanda est. Quia vero Christus Ecclesiam instituit instituendo auctoritatem apostolicam (II), et proprietates omnes quae Ecclesiae insunt, vi huius auctoritatis ei competunt, ideo in ea uberiorius declaranda primum immorandum est, et primo agendum est speciatim de eius subiecto ex divina institutione.

Christus potestatem instituens Ecclesiae suae, non eam universo fidelium coetui communicavit ut ab hoc certis ministris delegaretur, sed certis personis immediate contulit propagandam perpetuo ab illis in alios qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur: quocirca ex Christi institutione ac iure divino repetendum est discrimen quod inter clericos laicosque intercedit.

I. Cum quaestio agitur de subiecto auctoritatis socialis distinguendum est accurate inter ipsum et finem cui eadem auctoritas est ordinata. Omnis enim potestas socialis non in bonum et commodum illorum qui eam obtinent, sed aliorum qui gubernantur est instituta. Hoc enim interest herilem dominationem inter et domesticam ac socialem praefecturam, quod in ea ad domini commodum gubernatio dirigatur, servus enim est aliquid domini et propter ipsum est, gubernatio vero domestica vel socialis eorum gratia est qui reguntur et ad subditorum bonum ordinatur. Quare quaecumque respublicae in communem utilitatem intentae sunt, eae sunt rectae, quae vero

privatum tantum eorum qui praesunt emolumentum spectant, vitiosae sunt; transeunt enim ad herilem dominationem: atqui civitas societas est liberorum. Ita Aristoteles Polit. Lib. III, c. 6. Itaque si quaestio fit quinam sint ii propter quos potestas Ecclesiastica est instituta, hi sunt omnes qui gubernantur, fideles omnes, nempe Ecclesia. Omnia vestra sunt sive Paulus sive Apollo sive Cephas.... vos autem Christi, Christus autem Dei. I. Cor. III, 22. Hinc cum hic sit character communis cuiuscumque formae recti regiminis, ex eo nequit discrimen colligi unius formae ab alia.

Verum aliud prorsus est potestatem socialem esse propter utilitatem regendorum, aliud eos, qui regendi sunt, esse subiectum saltem primarium eius potestatis. Differunt enim haec formaliter, ut patet: differunt etiam materialiter, quatenus non est consequens, ut ii propter quos est potestas, sint eiusdem subiectum. Sane bonum domus totius est finis potestatis paternae, quae tamen nullo modo est in filiis aut familiaribus; quemadmodum illuminatio oculorum finis est lucis solaris, quin tamen subiectum emittens lucem sint oculi, sed sol. Nimirum quod potestas sit in bonum aliorum hoc tantum ius tribuit ipsis ut ea potestas in eorum utilitatem exerceatur, iique bene gubernentur, id autem per se praestari potest etsi subiectum possidens auctoritatem etiam primarium et radicale non sint omnes, sed unus homo. Quocirca nihil infirmius eo *infallibili firmamento*, quo olim Schola Parisiensis, teste Richerio, munitur; ait enim (de Eccles. et polit. potestate c. 1.) « vulgare est atque indubitatae fidei axioma, Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum quam aliquam partem suppositi quamvis nobilissimam intendere; eamque ob causam, facultatem videndi e. g. toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum et ministrum hominis exerceretur: nam oculus per et propter hominem existit. Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Ecclesiae, perpetuo constanterque (ab aetate scilicet Concilii Constantiensis sub initium sec. XV) docuit, Christum fundando Ecclesiam prius, immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae quam Petro, seu quod eodem redit: Claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur. Quandoquidem tota iurisdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter Ecclesiae convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad exsequutionem tantum, sicut facultas videndi oculo. Omnia enim vestra sunt (idest Ecclesiae) sive Paulus etc. ex I. Cor. III, 22. » Hoc ineptissimum sophisma, ut liquet, innititur totum confusioni idearum finis et subiecti potestatis. Nec facultas vi-

dendi ita data est homini ut subiectum eius primum sint omnes partes hominis simul, anima nempe et cuncta membra corporis, quorum vicem deinde exerceat oculus; sed immediate tanquam in subiecto est in anima et oculo tantum, quae tamen et est actio hominis, actiones enim sunt suppositi, et est propter hominem et cetera eius membra, seu propter usum ceterorum membrorum. Ludit vero Maior (l. inferius c.) cum ad idem suadendum provocat ad hoc effatum: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis*. Hoc enim principium, si principium est, valere quidem potest cum effectus cum causis suis efficientibus comparantur: non valet vero *saltem per se* quoad causas intrinsecas: neque enim si Petrus est homo propter animam, ipsa anima est magis homo: neque valet pariter quoad causas finales: neque enim si magister est doctus propter discipulum erudiendum, hic est doctus magis. Ita pariter etsi Petro data sit potestas propter Ecclesiam, non sequitur: ergo Ecclesia plus potest quam Petrus. Verum quidem est occasionem huius sententiae circa potestatem Ecclesiae potuisse Richerium accipere ab ea doctrina, quod subiectum primum potestatis socialis sit ipsa societas, quae eam deinde naturae ductu in Regem aut alios transfert: at quidquid sit de ea doctrina, de qua nolumus quaestionem habere, manifestum est non eadem ratione loquendum esse de societate naturali et de supernaturali, quae est institutionis liberae positivae divinae, praeter et supra exigentiam naturae.

Quapropter in hac controversia uti licet praescriptione hoc pacto: Cum quaestio agitur an Christus potestatem a se institutam contulerit primum toti Ecclesiae, seu universo fidelium coetui, communicandam ab eo postea certis ministris, an solum quibusdam personis contulerit quas propter eam a cetero coetu discreverit: praescribimus quaestionis solutionem petendam non esse ex principiis rationis quibus naturalium societatum ordinatio stabilitur, sed ex sola Christi voluntate institutoris potestatis. Est scilicet quaestio facti, quae testificatione referente liberam Dei voluntatem dirimenda est.

II. Sententia itaque fuit doctorum quorundam gallicanorum (Gersonis De Potest. Eccl. Consid. 4. seq. Iacobi Almaini in quaest. resumpt. Concl. 3. et de Auctorit. Ecclesiae cont. Caietanum c. 6. Maioris Disput. De Auctorit. Concil. supra Papam, aliorumque) Christum potestatem supremam *immediate, principaliter* dedisse Ecclesiae. Ecclesiae quidem nomine aliqui coetum omnium praelatorum videntur accipere; quidam vero etiam collectionem omnium fidelium accipiunt. Hos secutus Richerius statuit quod iam audivimus: totam iurisdictionem Ecclesiasticam primario proprie et essentialiter Ecclesiae convenire, quae eam exercet per suos ministros et instrumenta

Papam et Episcopos. Hunc imitatus Febronius (De Statu Ecclesiae c. 1. §§. 5. 6) docet potestatem clavium datam a Christo Ecclesiae universitati, quae eam principaliter et radicaliter obtinet, quaeque eam exercet per suos ministros et praecipue per Rom. Pontificem. Secundum hos Constitutio Civilis Cleri in Gallis edita est labente seculo praeterito, in qua forma regiminis ecclesiastici auctoritati civili h. e. populi subiiciebatur; eademque proscripserat a Pio VI Constit. *Caritas* die 13 april. 1791. Idem Pius VI proscripsit ut haereticas propositiones Synodi Pistoriensis 2^{am} quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum*, sic intellectam ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: et 3^{am} quae statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicatam ut R. P. non a Christo in persona b. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia.

III. Quaestio est ergo quibus Christus voluerit non solum commissum exercitium potestatis ecclesiasticae, sed quibus voluerit conferre ipsam potestatem originaliter. Iam vero illis tantum dicendum est fuisse a Christo collatam originaliter potestatem quibus exclusive ex tabulis testatoris h. e. ex evangelio constat fuisse collatam: atqui ex his constat eam solum quibusdam determinatis personis h. e. Apostolis fuisse collatam: ergo. Maior patet; potestas enim qua Christus in terris fideles suos regebat propria erat ipsius, independens a quovis consensu subditorum, integrumque proinde ipsi erat eam participare cui vellet ita ut nemo alius eam habere posset, cui ipse non dedisset. Prob. minor. Constat tum Petro primum et cum Petro aliis Apostolis quos Christus speciali ratione sibi devinerat et ab aliis secreverat, potestatem ab eodem Christo fuisse collatam; tum fuisse illis collatam non prout erant coetus fidelium, vel illum representabant, sed prout erant personae distinctae a ceteris et ut per eam potestatem discernerentur a ceteris eisque iure divino superiores essent: atqui his positis potestas solis illis determinatis personis est collata: ergo. Maior quoad primam partem patet ex testimoniis Luc. VI, 13. 14. Matth. XVI, 18. seqq. XVIII, 18. Ioan. XXI, 15; Matth. XXVIII, 20. etc. Altera vero pars maioris evidens quoque est: nam praeter quam quod nullum est indicium disertum huius representationis, imo ipsi iam fuerant a ceteris discreti, ita haec pars probatur. Nam manifestum est quod aliquibus tanquam distinctis a ceteris confertur potestas aliqua socialis, quibus haec potestas fit tanquam auctoribus futurae societatis: si enim per illos iam auctoritate

auctos futura est societas; ipsis solis ut distinctis a cetera societate, quae nondum est, confertur omnis potestas. Atqui ita res se habuit in institutione divina ecclesiasticae potestatis. Etsi enim dum Christus inter homines versaretur exsisterent aliqui fideles una cum Apostolis qui simul cum illis immediate regebantur a Christo; attamen Ecclesia aedificanda a Christo ea erat quae exstitura esset secundum formam a se praestitutam post eius abitum a terris: loquitur enim Christus de Ecclesia adhuc a se aedificanda cum iam fideles sibi cohaerentes haberet, quae proinde secundum formam socialem nequit esse ea ipsa quae iam tunc exsistebat: huius autem futurae Ecclesiae Apostoli fuerunt auctores: ergo. Minor praecedentis argumenti, quod nempe his positis potestas sit a Christo collata solis illis determinatis personis, evidens est: ergo.

IV. Hunc esse Ecclesiae sensum perpetua et constans agendi ratio manifestat. Sane nunquam ex omnibus fidelibus generalia concilia convocata, aut eorum suffragia ex auctoritate petita, sed ex solis Episcopis utpote successoribus apostolorum concilia collecta, eorumque tantum authentica suffragia expetita: nunquam universis fidelibus facta potestas instituendi praesides et episcopos: sed distincto iure ferendi testimonium atque etiam postulandi, et iure eligendi ac conferendi potestatem, illud quidem permissum fidelibus fuit, hoc semper negatum: « Expectarentur, ait S. Leo ep. X. c. 4. vota civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quae in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui noverunt Patrum regulas custodiri.... Teneatur subscriptio clericorum, ordinis consensus et plebis: qui praefuturus est omnibus ab omnibus eligatur. » In priore parte sententiae distinguitur electio quae asseritur clericis a testificatione et postulatione seu votis populi; in altera parte quoniam ex omnibus his actibus unus fiebat qui in electionem desinebat, electio omnibus tribuitur simul, sed id accipiendum est cum distributione accommodata. Sane Canon Apostolicus 31 statuit: « Si quis episcopus secularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur, et segregentur omnes qui illi communicant. » Conc. Nicaenum cn. 4., « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia episcopi καθίστασθαι constitui, praefici.... Firmitas autem eorum quae geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo. » Conc. Laodicenum cn. 13. « Turbis non esse permittendum electiones eorum facere qui sunt in sacerdotio constituendi. » In 4. Synodo Romana in causa Symmachi reprobatur est « laicos electionem episcopi in suam redeigisse potestatem, quod contra canones esse manifestum est. » Conc. Nicaenum II. cn. 3. « Omnem electionem quae

fit a magistratibus, episcopi, presbyteri, vel diaconi, irritam manere. Oportet enim eum qui est promovendus ad episcopatum ab Episcopis eligi. » Conc. oecum. VIII. cn. 22: « Sancta et universalis synodus definit neminem laicorum principum vel potentem semet inserere electioni vel promotioni Patriarchae aut metropolitani aut cuiuslibet episcopi,... praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentem vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi usquequo regulariter e collegio Ecclesiae accipiat finem electio futuri Pontificis. » Quocirca, ut ait Caelestinus I epist. V. ad Episcopos per Apuliam et Calabriam, « docendus est populus, non sequendus. » Quia vero ad Cypriani auctoritatem provocatur ad asserenda quaedam laicorum iura, verba ipsius ex epist. LXVIII afferemus, quae si totus contextus legatur apertissima in luce ponunt sententiam quam defendimus, suos limites definientia plebis actioni. Ait enim quod « ipsa maxime (plebs) habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina ordinatione descendere, ut sacerdos plebe praesente *sub omnium oculis* deligatur, et dignus atque idoneus *publico iudicio ac testimonio* comprobetur; sicut in Numeris Dominus Moysi praecepit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum et Eleazarum filium eius, et impone eos in monte coram omni synagoga, et exue Aaron stolam eius, et indue Eleazarum filium eius. » An Eleazarus electus est a populo? minime. Quo ergo ex mente Cypriani spectat exemplum istud divinae auctoritatis? audi sequentia: « Coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, idest instruit et ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut *plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur*, et sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata. » Tum aliis ex Scriptura allatis exemplis concludit: « quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata tota plebe gerebatur, *ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet*. » Electio ergo non proprio sensu accepta populo asseritur, sed prout erat testificatio idoneitatis eligendi. Si autem quaeris quo iure haec praxis inducta sit, respondemus distinguendo: quatenus enim ut dignus eligatur medium adhibetur quo dignitas eligendi cognosci possit, id de iure est naturali et divino: quatenus vero hoc modo res peragebatur ut plebe praesente ac testimonium ferente atque etiam postulante electio a clero fieret, id iuris erat ecclesiastici, profectum ab auctoritate Ecclesiae, in cuius potestate proinde est alios substituere modos. Cf. quae dicemus in Th. XIV. Haec autem distincta munera plebis testimonium ferentis et cleri eligentis in electione